CASVS PRINCIPIS

SIVE DE LAVDIBVS

INNOCENTII XII.

PONT. OPT. MAX.

ORATIO

8.55.B.5/5

ANTONII DE MALEGONNELLIS,

Nunc de Amadoris, inter Arcades, Sireni.

VENETIIS, Apud Andream Gonzatti 1692.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Auguſtæ, ac pulcherrimæ
Vrbium, Neapoli

ANTONIVS
MALEGONNELLIVS
DE AMADORIS F.

IMprobum ſane facinus literarũ audacia maieſtatem illius Vrbis adire, quæ fœcũda parens Heroum, populo velut Regũ gloriatur; & quæ vna poſſet ingenio

ma-

Digitized by Google

Digitized by [illegible]

Auguſtæ, ac pulcherrimæ
Vrbium, Neapoli

ANTONIVS
MALEGONNELLIVS
DE AMADORIS F.

IMprobum ſane facinus literarũ audacia maieſtatem illius Vrbis adire, quæ fœcũda parens Heroum, populo velut Regũ gloriatur; & quæ vna poſſet ingenio

ma-

Digitized by Google

maris, terrarumque, inuidiam ſideribus facere, niſi & eandem in cõmune fatum mortalitatis prouida Diuinitas condidiſſet. Tamen ſi peregrinum, & incultum hominem non dedigneris, inferam gloriæ tuæ puluinaribus nõ barbaricæ opulentiæ donaria, ſed in paupere Muſarum ſupellectili grande amoris, & obſequij pignus; atque adeo magnitudine argumenti nobilitatum, vt nõ alibi Te tibi dignius oſtendam; cum Tu, quæ, quantaque ſis vno vel in Ciue cognoueris. Vale.

Adeo-

Digitized by Google

ADeone tam male de Cælo meruimus, vt parum fuerit læthali Principis caſu ſalutem noſtram, et publica vota proſterni, niſi & imagine duraturæ felicitatis eluſos inopinus Fortunæ turbo colliſerit. Furor eſt de Numinibus queri; ſed magnarum Vrbium excidia, ingentium populorum clades in vltionis diuinæ remedium, miris antea oſtentis denunciatæ, & ſæpe fulmina, vt ignoſcerent, cecidere. Sic olim contumax euerſa eſt Sion, & pœnitentia Niniue ſtetit incolumis. Vna Vrbium Roma, Sacrarium Fidei, colonia ſiderum, repentino tacta fulmine, procubuit, nullo Superum præmonente; niſi aſſiduis cõflictata calamitatibus non alijs fuerit deterrenda minis, quam prodigio felicitatis. Quod ſi decretũ eſt, expiari quicquid irarum in nos cæleſtium humana exciuere flagitia, non pœnam ſuperi deprecamur; irruat Europam Aſia, expetatur in arenam, preciumque bellorum Italia, deneget Cælum fruges, & Vrbem hanc aceruo funerum peſtifer annus

inuoluat. Reuocet tamen pollutam ſacrilegio manum Fortuna, horreat facinus, quod non omnium retro Principum funera exæquarent, nec in immēſum aucta ſceptrorum ſtrue poſteritas omnis expleret. Principe hoc vno incolume, per aduerſa caſuum, perque vndarum, ac terræ minas æmula ſiderum nubes ſecuritati nos reddet. Certa eſt quæ venit de exemplis fiducia; Nam vt primùm viro huic Sanctiſſimo imperium humani generis delatum eſt, & nouo, ac ſalutari ſidere Vaticani Cælum refulſit, ſenſit admotam illico terrarum orbis cuſtodiam, & mutatis rerum vicibus reſurgētes Aſiæ vires attritæ, Europæ arma infra iram ſtetere: repreſſa imminens Latio fames, & Aegyptiæ cladi par lues.

Liceat inter exordia regiæ laudis effari, quòd nō adhuc Oratorum vllus, nec fortaſſe in poſterum de ſe profiteri aut poterit vnquam, aut volet. Par nēpe mihi, ac Principi, nouumque decus accedere, quod non præmijs, nec iudicio quidem honeſtatus, ſed inſinuante ſeſe nuper inuidia repulſus, velim nunc ſtudium omne, & ingenij curas intendere, non vt per aliena facinora inclareſcam, & maieſtatem inuitam alioqui, & laudum aſpernantem obſequentis

tis

tis ſtyli audacia proſequar;ſed vt memoriæ tempo-rum,honori Vrbis, & veritati rerum inſeruiam; ſi non gratiæ apud inuidos,fidei tamen, & integritatis gloriã apud poſteros habiturus.Et ſane quis vnquam in decus,famamque ſeculi pronior me vno? qui aliorum irriſui temeritatem præſumptæ eloquentiæ difficillimo præſertim argumento contulerim,in quo pleraque laudum ideo ſupprimenda, quia Principis noſtri gloriam non tam augent, quam imminuunt;Nam ſi deprehenſus in origine ſua Nilus Ægyptiæ gloriæ minor effluxit;quo nũc ſtudio, & ſuſpenſæ artis labore cuiquam eruditæ etiam facũdiæ viro initia eſſent, & origines huius diuini propemodum hominis prætentandæ, ne tot regias animi dotes, & excelſæ indolis ornamenta, vt ingenita, & fortuita natalium fulgor, & ſors altiſſima Patriæ inumbraret?

Non enim humili velut vrbe,aut obſcuro editus municipio ad lucem magnæ fortunæ caligauit, ſed triumphales ei cunas, & auguſtos ſpiritus indidit grande illud Italicæ claritudinis adiumẽtum, Neapolis: Vrbs omnium, quas Cæli conuexitas ambit, pulcherrima. Ibi namque aeris mira clementia, terrarum orbis commercio feruens mare, & ipſa

col-

Digitized by Google

collium fertilitas in coronam perpetuæ amænitatis educta gaudentis Naturæ ſedem, ac regnum, oſtentant. Genium tantæ Vrbis bellica ciuium virtus, & ſtudia pacis commendant. Ad hæc aperti mores, & exculti, pronæ ad pietatem mentes, nil tamen humile, aut vulgare ſpirantes; nam ſupra corporis dignitatem, ac decus formæ, tantus fidei pudor, tanta nobilium animis laxatæ grauitatis venuſtas elucet; ſimulq; tam generoſa rerum, ac vitæ contemptio, vt facile inſitam regiæ indolis maieſtatem deprehendas, priuatæ fortunæ gloria feliciorem.

Et quando iam libuit virtutes ipſas cenſu fortunæ reputari, cur non hic inditam ſibi labem vltrix facundia redimat, ſeque damno Principis, & iniuria laudum nobilitet? Complectar magnitudinem, fortunamque regiæ huius propemodum domus, & vetuſtiſſimæ nobilitatis atria colluſtrans proferam ſimulacra omnia, & innumera gentis monumenta, quibus vel ipſa veteris olim Octauiæ auguſta porticus ſuperbiret. Deinde repetitis ab vltima auorum ſtirpe maximarum rerum exẽplis, aperiam artes, ſtudia, inſtinctus, quibus ingentes animæ, velut tradita per ſucceſſiones gloria, & verſa in naturam conſuetudine, ardua quæque, & excel-

cel-

celſa præſentandi, æuum ſuum, totamq; poſteritatem illuſtrarunt. Cernere primùm erit religioſa pacis otio, & ſapientiæ ſtudijs enata ingenia ſanctitate inſularum vrbibus imminere, moderari exemplo populos, Principes, Regeſq; conſilio. Hinc artium præſidia, literarum decora, voces, & oracula Principum, ac diſſidentium dominationum fœdera, & amores. Magna quidem hæc, ſed ipſa Heroũ multitudine, rerumque prouentu clariora; congeſta tamen, & in arctum retracta, veluti gloriam omnem, ſpatiumque datura Principi, cui nunc terrarum inclinatur Orbis, & mortalia omnia veneratione procumbunt. Sed nequis credat, domum hanc Religionis tantũmodo, & literarum altricem; ſpectaculum gentibus tradam, in quo nil niſi atrox, atque truculentum occurret. Expugnatæ arces, fugati exercitus, incenſæ Vrbes, ſtrata cadaueribus litora, infectum cladibus mare, plena demum omnia tumultus, periculorum, & ſanguinis. Addam innumera prouocatæ fortitudinis experimenta, & ſuſpenſis vtrinq; exercituum animis, Torquati ſæpe gloriam pari certamine exæquatã; & ne ſibi Roma nimis, Iliumque placeat, clypeos inter, & roſtra nauium, haſtaſque, magna ſemper

nomina, Antonij, Fabricij, Scipiones, pluresque, bellorum fulmina, Hectores eminebunt.

Annè igitur magnanimitatē noſtri Principis, iuſtitiam, pietatem, abſtinentiam, vt propria, atque ſua laudauerim? Niſi fortè omnem ſupra gloriam fuerit, quod hæc eadē per exteras gentes, varioſq; populorum mores intacta, & illibata ſeruauerit, & rariſſimam magnis domibus laudem cuſtodiuerit, innocentiam. Nec mirum videretur, ſi ſacros inter Thebarum receſſus, aut conſecrata abſtinētię clauſtra talis nunc eſſet; ſed in publica mundi luce, ac Principum aulis, inter ancillantis nequitiæ blandimenta, & feliciora virtutibus ſcelera degentem nō inuidia premi, aut premere, non voluptatibus irretiri, non ſpe, non metu torqueri; ſed obniti cupiditatibus, affectibus imminere, proſperam, aduersāque fortunam ex æquo reſpicere, non minùs arduum, ac portentoſum exiſtimo, quàm cum Sanctiſſimo Regum Dauide fauces Leonum eliſiſſe, & intra ſepta crudelitatis ſtetiſſe cum Daniele ſecurū.

Romæ ſiquidem a puero ſpatia virtutum ingreſſus, & veluti iam inde cēſuram Vrbi, & exemplum deberet, acta per honeſtas artes adoleſcentia, iuueniles annos ijs potiſſimum ſtudijs, & ſapientiæ

me-

Digitized by Google

meditamentis exercuit, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Feſtinata meritorum luce, anceps, & infidum aulæ limen intrauit. Comitabantur futuri Principis iuuentam ingenuus pudor, inaffectata grauitas, ingens animus, & laudatis antiquorum moribus haud impar virtus. Quæ inuiſa ſtatim, ſeu potiùs ignota vitia fuere inter eos, quibus non niſi ſubdola, toruaque virtus placeret. Breui tamen obuerſis in obſequium animis, adeo vicit peculiare malum inuidiam, vt iam nil ei fore imperuium boni, ac mali iuxta, rara felicitate ominarentur. Vidit aula in hoc viro promouendo plurimorum ſane Pontificum illuſtre certamen. Hinc honorum initia, Præfecturæ, Magiſtratus, regimina, per quæ non tam effuſa in egeſtatem pietas, quam inſitus quidam horror emicuit aduersùs ſenſuum illecebras, & blandimenta munerum, quibus haud raro temeratæ adminiſtrantium mentes arbitria Principum, ipſamque maieſtatem licitantur. Poſitis per minora tyrocinijs, & iam regna, regumque animos prudentia complectens, Hetruriæ, Poloniæ, Germaniæ demum aulas legationibus inſigniuit; Et vt ſidera peractum cælo iter veſtigio lucis deſignant, ſic militare illud, ac nobi-

le ſupercilium Africæ Melitam, & peragratos Europæ tractus regijs artibus, & Apoſtolicæ ſolicitudinis gloria illuſtrauit.

Viſa tamen vani nominis Fortuna vim ſuã immiſcuiſſe, vt natum ad imperia virum per ſecunda, aduerſaq; caſuum erudiret. Nam repente gradibus honorum abruptis, ad Lycienſis Eccleſiæ tutelam, ſiniſtra in aulam interpretatione ſeponitur. Commouerant animos ſupra ingenium, quod Europa fere omnis exercuerat, geſti honores, imminutæ opes, & per labores, pericula, ſolicitudines, in ſenium feſtinata iam ætas. Cæterum inconcuſſus, atque imperturbatus, aucta per obſequium, & cõſtantiam fama, ſuam adeo Principi fidem comprobauit, vt Romam accerſitus inſignioribus aulæ præfecturis decoraretur, non ſine ſpe purpuræ, quam haud longo annorum interiectu ſub imperio Innocentij XI. virtutũ acerrimi æſtimatoris, aſſequitur. Fauentina mox infula redimitus, & a Bononienſi legatione recens Neapolim ad ſacra patriæ tutanda reuertitur, comitante opinione, parari rerum humanarum id caput. Non ſpes, aut omen improbauit euentus; nam ſanctioribus nuper mundi comitijs, ſortem pene omnẽ mortalitatis egreſ-

ſus

ſus terreſtre Dei ſolium aſcendit, ſibique conueniẽtiſſimũ integritati ſuæ nomen aſſumpſit, vt deſideratiſſimi Principis memoriã extenderet, & immiſtos iã Cælo mores nominis innocẽtia referret.

Præcipua noui Principis cõſilia fuere, nõ infelicium Prouinciarum ſpolijs, aut ſacra cenſuum opulentia hiantem ſuæ domus charybdim explere, inſerere Principibus poſteros, ac ea demum exequi, per quæ impiorum procacitas, odiumque nobilitatur; ſed apoſtolicæ dominationis diſciplinam recognoſcere, inſpicere magiſtratus, iudicia, ærarium, robur denique vrbani militis, & quicquid in magno imperio, magnoq; populo dignitas Principis, & licentia temporum expetebat. Et quamuis natura blandus, & raro cuiquam aduerſus, tamen, vt primum negocia, & ingenia hominum poſtularũt, adeo ab inſita lenitate deſciuit, vt eluſa eorum ſpe, qui ſegniter, ac remiſſe regnaturum crediderant, fræna ſtatim iniecerit contumaci ſuperbiæ, & Vrbẽ molliter, ac licenter habitam ad modeſtiæ, pietatiſque frontem coegerit.

Quamquã non alia maior Principis noſtri gloria, quàm quòd cupiditates hominum moderaturus, exemplo primùm ſuo regnatricem aulam ita pri-

ſti-

ſtinæ ſanctitati reſtituit, vt in vna domo vniuerſam pene mortalitatem emendauerit. Et ſane certioribus nunquam experimentis comprobatum poſſe ſuperba etiam aularum faſtidia, & callidam Procerum integritatē, vanaque alia ſpei celſioris molimina ad veritatem, innocentiæ compelli exemplo, metuque imperantium. Quin ipſa Quirinalia tecta, commune pignus felicitatis amplexa, finitimam collium ſuperbiam tam hilari, nouaque luce videntur laceſſere, vt plane intelligantur glorioſiſſimi Principis ſentire dignitatem. Tanta nimirum in eo moderationis, & abſtinentiæ laus, tam præcipua virtutum omnium ſanctitas ineſt, vt et Palatinas Neronum domos, ipſaſque mugientis Auentini ſpecus innocētiæ paſtoralis veſtigio cōſecraret.

Hinc pudor in omnes, ac metus detrectandi exemplum illuſtre Pontificis, quem Apoſtolicis moribus, & quotidianæ vitæ inſtitutis, ceu mortali maiorem Romana iam pietas intuetur. Et quidem omnium mihi ſuperioris æui Pontificum adoranda ſunt nomina; Sed quis adhuc pauperrimus ita ſecum, & reſtrictiſſimi moris author erga ſenſus, deliciaſque mortales, vt in tanto rerum arbitrio, & contermina ſideribus poteſtate nil, niſi curas, labo-

res,continentiam vſurpauerit? Admiſſiones aſſiduæ,breues ſomni,expeditæ,ac parabiles cænæ,veſtium exterior cultus, vt ad inſignia, ſplendoremque dignitatis, ſic interiùs omnia ad priuati Sacerdotis morem lacera propemodum, ac detrita.

Leuia forſitan hæc,& ad explēdas ærarij lacunas exigua frugalitatis momenta; excelſa tamen apoſtolicæ ſeueritatis exempla, & poſteros aliquando Principes oneratura, præſertim qui viderint ſacras opes,& Eccleſiæ munera extra corruptelam fœdiſſimi ambitus ad optimum quemque deferri, antiquæ claritatis ſobolem gradibus honorum attolli,precio tamen virtutis, aut intercedente pudore. Meminerint faciles etiam aditus, & inuitantia limina, obuiam humanitatem,clementiam impetrabilem,& prærogatiua quadam calamitatis egeſtatem humaniùs exceptam. Ingeram plebeias, & illuſtres domos aſſiduis ſumptibus, & clandeſtina pietate enutritas,patrios cenſus, auitas opes, quicquid prætereà ſuppellectilis in veteri,longaque domus opulentia, interque magnæ fortunæ inſtrumenta enitebat,diuēditum in pauperes, effusūque.

Hæc eadem munificentiæ cura non proximas tantùm ciuitates, atque oppida, velut Colonias

Ro-

Romanę paupertatis reſpexit, ſed longinquas etiã ſuæ ditionis vrbes; quæ etſi terrarum fertilitate, cęlique indulgentia felices, ita tamen auaritiæ publicanorum obnoxiæ, vt verſa in votum iniuria ſupra damnum ſterilitatis vbertatem imputarent. Huic tandem calamitati prouida ſeueritas Principis occurrit, reſtituto commercio, ac iuſſa libertate commeatuum, qui grauioribus antea pœnis intercipiebantur, quam ſi non ad finitimas, ſociaſque gentes, ſed vltra Danubij ripas aut diremptis mare barbaris importarentur. Intelligant ergo bona ſua tot vrbium, & agrorum populi, ſciantque, alimentis ſuis pari gloria conſuluiſſe Cælum, & Principem. Inter hæc aſſiduæ pietatis meditamenta, ac ciuiles, ſacroſque prouiſus nec alia quidem defuere, quæ dignitatem apoſtolici Principatus manifeſtiùs attollunt. Excipere legationes, Senatui frequenter adeſſe, oſtentare ſe populis, ſolemnia ſacrorum exequi, mutuis Principum odijs Chriſtiana conſilia obiectare, bella demum in Barbaros ærarij viribus augere. Mirum videretur, ſi adderem, nullas Principi refectiones, nec alia vnquam laxamenta curarum, quam quæ ſolitudo interdum vrbanæ ruſticitatis ingereret.

Quirinalis Regiæ latera claudit perpetua hortorum amænitas. Non alibi manus artificum, ac Principum opes cum ingenio naturę felicius decertant. Inceſſerat tamen ea villicum cura erga ſapien-

pientiam, pudoremque Regnantis,nequid impro-
bum,& ineruditum occurreret. Statuas igitur, &
ſigna,vana olim Gentilitatis Numina, nunc artis,
& luxurię prodigia foliorum velamento,& circum-
ducta crinibus, humeriſque odorata florum textu-
ra ad modeſtiam temporum, gratiamque operue-
rat; quæque nouis inſuper aucta, & emendata my-
ſterijs,inſignia domus,nomenque Principis, virtu-
teſque referebant. Ceſſere in trophæa ſalutis, &
monumenta fidei tot vndique buxi, myrtique,
quas antea tigres, aquilæ, dracones, ac pene tota
furentis Africæ penſilis ira efferabat. Non alia ta-
men virentis ſoli ſpecies, aut mirabilior, aut gra-
tior, quam quæ felici cultorum negligentia in-
horruerat; nam ſorte quadam intermiſtæ vepri-
bus roſæ videbantur in gloriam noui Moyſis ru-
bos accendiſſe. Vicerat ſtudium artis Fortuna, niſi
et hanc vltra ſagax agricola ingenium protuliſſet.
Meditatus eſt, peregitq; opus, quod innocentia
ſumptuum, & miræ artis commento non tam ſa-
ſapientum oculos detineret, quam moles illas elu-
deret,quibus Romana olim ingenia ſuperbiæ Cę-
ſarum blandiebantur. Frontem primi aditus & ſi
multa cedro conſpicuam, nobilitabant tamen in-

textæ cancellatim arundines, quę in morem arcus porrectę fragili nexu firmabantur. Serpebant vndique ſmilaces, naſturcia, voluuli, atq; aliæ reptiles, & ſolares herbę, quę in exitium ſuum aſſurgentes fugaci colorum certamine caducitatis humanæ triumphum ornabant. Et ne quid deeſſet ad gratiam nouitatis, tumentes in florem vteri furtiua ſępe manu tam erudite aptabantur, vt prima tacti luce in infulas, ſceptra, diademata breui ſeſe riſu aperirent, & varia inter emblematum coronamenta ludentes, prout dies creuit, decreuitque, rapidiſſimæ vitę ſpatia vmbra folioque ſignarent. Temporarię pompę latera firmabant myrteæ Angelorum imagines, quę velut in tutelam diuinę amęnitatis, exerto in terrorem gladio, ac penè vultu profanos arcebant. Hàc iter ſępe Principi, qui, vt imperij curas leniret, odoratas inter auras circa meridiem ambulabat; & nobiliores vbi arbores Syluestri imitamento ſilentium, vmbraſque miniſtrabant, ſedebat ſic ſupra fontem, vt altiſſima rerum imagine mortalia ſecum omnia volutans ingentē animam cælo, & ſideribus immiſceret. His itaque meditamentis actus, cum omnem vltra ſemitam aliquando oberraret, forte fuit, vt in agricolam,

quic-

Digitized by Google

quicquam iam tale ſperantem, inciderit; qui opportune areolarum ſepimentis papauera fremẽs euulſerat, vt noxia populo florũ, nec alio, quam authoritate coloris monſtranda. Non minori inſequebatur odio cicutas, aconita, napellos, aliaque malignantis ſoli portenta, quæ forte, caſuque amænitatibus hortorum innata, & alieno ſtatim ſucco in ſuperbiam enutrita nobiles herbarum fæturas aut magnitudine comprimunt, aut necant amplexu.

At Princeps facunda humanitate villicum excipiens, haud multa de hortenſibus, nec imperitè diſſeruit: deinde Naturæ maieſtatem miratus, quæ per tot ridentis ſoli odoramenta ſic luſerit, producto per artem ſermone, ſenſim ad propria deflexit, quæſiuitque, quis rerũ ſtatus, quę ſpes Vrbis, quid ipſe demum de Principe, ſeu per alios ſentiret; diſſimulata tamen dignitate, & vultu, quò plura eliceret. Tum villicus pari arte colludens, ratuſque impune ſibi futurum quicquid ſub hac larua ingenua libertas effunderet: Nimium, inquit, in hoc otio ignaræ ruſticitatis expoſtulas; illos interroga, qui aulico, ciuilique ingenio curioſi ſcrutari, & carpere cũcta Principum amant. Sed ne rudem, & incomptum hominem auerſeris, quicquid in triuijs

eloqui, aut diſcere cum populo libuit, expediam: Principem, ferunt, rebus humanis contigiſſe, imperium ſuum, & longa vota Vrbis exæquantem; iuſtum nempe, inconcuſſum, munificum, contemptorem opum, & Virtuti per omnia ſimillimum. Quam noua ſtatim Vrbi & forma rerum, & facies! Reuocata in forum integritas, reſtituta legibus reuerentia, omnibus æquitatis, induſtriæ, laudis amor incuſſus, aut neceſſitas imperata. Viuere libet, natũ eſſe non pœnitet. Auguſtam hanc Principis mentem, & numeroſa gloria nobilitatum animum externa etiam, & fortuita commendant. Proceritas corporis, vultus præcipua dignitas, & qualem audacia ſuæ artis colorum periti Numinibus effingunt. Ad hæc robur virium intactum adhuc, & duraturum, temperantia cuſtode. Ferat tamen ingenui pectoris amabilem contumeliam; neſcius fraudum, ſimulationum expers, ac omnium denique artium ignarus, quas callidiſſimi imperantium inter præcipua ſibi laudum cenſuere; paratus nempe nimiũ peccantibus, & aularum inſidijs opportunus. Hæſit ad ea Princeps, & vrbani ſermonis cultum admiratus: Si talia, inquit, agreſtium ingenia regnantium animis inſeruirent, fore iam & aulis ſuum decus.

Alia

Alia proſequentem occupauit agricola;& ne mireris, inquit,hoc qualecunque ciuilis eloquentiæ ſpecimen, peracta mihi viuidior iam ætas in huius ſacræ Vrbis obſequio; & regali,ac munifico Hetruriæ genio ſuffultus, ſæpe inter aras amicitiæ cum proceribus illis aſſedi,qui cum viuerent, regnandi artes,momenta,& arcana regnorum eruditè intellexere; quorum admonitu ſeuera ſtudia, & horridas propemodum literas adeo muſarum amænitatibus excolui, vt viſus ſim Regum, & Pontificum famam felici,ac duraturo labore poſteris tradidiſſe, & ferar nunc inter prima nomina renaſcentis Arcadiæ. Sed cum nulla ex honeſto ſpes, & præmia virtutis,plerumque apud improbos inuidiæ cedendum ratus agreſte otium reſpexi, in quo felix hortorum incola rideo caſus meos,& raſtra hæc, & ligones,velut ãchoras adeptæ trãquillitatis ãplector.

Nec pœnitet Vrbem reliquiſſe,in qua peiora ſæpe fouendo,nuſquam Fortuna vires ſuas inclemẽtiùs exercet; creditque pudorem abſoluere ſi quando in portenti faciem attollit, qui per falſa imitamenta virtutis Principum animis irrepſere, quiue celſioris literaturæ,& ciuilium diſciplinarum ignari per ſordidas verborum nundinas otio ignaui laboris conſenuere.

At

At ne videar genio quæſitæ amænitatis nimiũ agricolæ affectibus indulſiſſe, hic rerum ſtatus, hæc ſollicitudo Principis depulſam vrbibus fidem tunc etiam a villico repoſcentis, funeſtiſſimam recentis mundi ſcenam mortalium oculis reuocauit, oſtenditque, ſi vnquam alias, tunc ſane nullam homini ſatis fidam eſſe fortunam, tutamque maieſtatem, vbi virtus aliqua ſortem mortalitatis egreſſa inuidiam, iramque excitauit. Euerſor ille noſtræ humanitatis ſerpens inſidiatus calcaneo Principis ſalutẽ publicam in caſum dedit, vt in eiuſdem læſo femore, ſanctiorem Eua, ſponſam opprimeret. Sed nil Viro huic ſanctiſſimo accommodatius ad gloriam, quam ſupra cæteros Principes etiam caſibus aſcendiſſe. Inter ſuorum manus, & lachrymas cubiculum vitæ dubius infertur, ibique nouos, velut impetus ad virtutem nactus, primum ne aulam deterreret, inſidens femori malum conſtantiſſime diſſimulauit, deinde nouas, etiam curas in remediũ accerſens quieſcebat interdum, ſurgebatque rurſus, donec adſtrepente pauperum deſiderio, & mœrens ipſe vel hoc vno, quod publicis eorũ alloquijs cogeretur abeſſe, ingenio pietatis ſuffultus, ac diu ferociter colluctando debilitati ſuæ cubiculi tandem

mo-

moras euicit,præbuitque de ſe ſpectaculũ triſte ſimul,lætumque,& quale profani nunquam,aut ſacri annalium conditores memoriæ temporũ tradidere. Datum eſt intueri cõfectum morbo, ac ſenio Principem ſubalaribus fulcris inniti,& ſuſpenſo per interualla poplite triumphales currus,& omniũ retro Principum famam cæleſti gradu anteire, ipſamq; regnaturæ poſteritatis gloriam occupare.

Sic igitur,Pontifex ſanctiſſime, affectus hominum,& iudicia meruiſti,vt non ſine pudore, ac lachrymis acclamationes illas exciperes, quas tibi nuper non tam publici amoris ingeniũ, quam tua merita,tuæque virtutes excogitarunt. Nam vt primum tua,ſeu potius noſtra omniũ vota ſoluturus, rediuiua propemodũ maieſtate Vrbis oculos impleuiſti, quæ populi alacritas, qui tumultus, quæ laudum effuſa ſinceritas! Parẽtes,liberi,ſexus omnis,omnis ætas deſiderio tui cõcurſare,inſequi, anteire,ſpatia viarum obſtruere,atque adeo ſummitates ædium, & pericula tectorum implere, vt in ſimulacrum nouæ Vrbis Vrbs Roma penderet. Vt vero ſanctiora Vaticani limina miraculum & ipſe lachrymarum intraſti, quam illico geminata gaudia,redintegrati plauſus, aucti gratulantium clamo-

mo-

mores! Auditæ voces conferentium Te priſcis, ac veteribus illis, quibus calcata maria, imperata ſidera, coacta elementa, gloriam, famamque diuinitatis adſtruxere. Hæc inter geſtientis lætitiæ certamina ipſe ego arcani amoris impatiens temperare mihi non potui, quin publicis affectibus priuata etiam deſideria coniungerem. Viue diu Princeps, tuaſq; ad imperium moras duratura felicitas expiet, donec quieſcentibus bellis, & nobilitatis euangelica luce ſolis vtriuſque limitibus, emerito tandem Cælo redoneris, has aras, hæc altaria non vltimum populis Numen aucturus.

[illegible] copia impressa [illegible] col suo Originale [illegible] XXI. [illegible]